



Wo. 40.



13
ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQUI DOCTORES
FACULTATIS IURIDICAE
LIPSIENSIS

PROCANCELLARIO
D. AVG. FRIDER. SIGISM.
GREENIO

SUPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGII
IURISCONSULTORVM LIPS. ASSESSORE EIVSDEMQUE
CIVITATIS SENATORE ATQVE SYNDICO

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CVM SPE

SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO

OBTINENDI

PRAECLARISSIMO CANDIDATO
SAMVELI FRIDERICO IVNGHANSIO

SECRETARIO REGIM. SVPR. SAX. ELECT. ET IVR. VTR. SACCALAVRO

A. D. XXIV. MAII MDCCLXXXIII.

COLLATOS
INDICVNT.

ORDINARIUS

SENIOR ET RELIGI DOCTOR

PROFESSOR

PRO CANCELLARIO

D. AUG. FRIDR. SICHM

GRABENIO

SPRACHLEHRER AN DER UNIVERSITÄT
ZU HALLE VON 1714 BIS 1741
UND VON 1741 BIS 1748 AN DER
UNIVERSITÄT ZU GIESSEN

BAWINGEN IN VITTOVE VIKRE HONORARY

PROFESSOR CANDIDATO

PROFESSOR ANGLICANUS

1714

1741

OBSERVATIO IVRIS CAMBIALIS

De amissione literarum cambialium.

Summa Cambiorum utilitas, qua veteres caruerunt, et quae ad augenda inque disiunctissimas terras proferenda commercia profuit, in eo quidem potissimum cernitur, quod hac ratione non solum solutiones in longe distantibus regionibus sine magnis sumtibus fieri possint, sed et, quod maximum est, damnum fatale, pecuniae traiiciendae metuendum, avertatur. Sed ipsum hoc sapientissimum humanum institutum minuit quidem periculum, casum tamen, cui omnia negotia subsunt, penitus excludere nequit. Quid enim, si literae cambiales pereunt? aut amittuntur? aut a perfidis manibus subtrahuntur? aut vi hostili intercipiuntur? In recenti adhuc memoria est casus, quem ephemerides publicae pristini anni nunciarunt, quo copiae Franco-Galorum Maserae (Maeseyk), oppido Leodiensi, cursum publicum invaserunt, et literas per eum missas, inter easque plures cambiales, perdiderunt.

Cum autem interitus literarum cambialium pluribus litibus ansam dare soleat, videamus, quid pro diversitate casuum sit

fit sentiendum. Cambiales vero literae sunt vel ita dictae *trassatae*, vel *propriae*, et perierunt vel penes creditorem, et Remittentem, vel apud Indossatarium, vel ante, vel post transmissionem, vel in itinere, vel ante, vel post acceptationem, vel post protestationem remisso cambio non acceptato, aut acceptato quidem sed non soluto a).

De omnibus vero his casibus valet regula, contractum cambialem per solam amissionem haud extingui b). *Debitor* enim cambii proprii, aequae ac *Trassans*, ea lege acceperunt pecuniam, ut prior ipse, alter vero per *Trassatum*, restituant. Uterque igitur hocce negotio ad solutionem promisso tempore et loco praestandam obstringitur, et *Trassans*, si *Trassatus*, cui per cambiales literas solutionem commisit, aut illas non acceptat, aut non solvit, interposita protestatione ad evictionem tenetur. Nec cessare potest haec obligatio in regula, licet cambium datum sit amissum, quia leges non permittunt, alterum damno alterius fieri locupletiolem, quod eveniret, si ob interitum tesserae cambialis a suscepta obligatione liberaretur, et pecuniam acceptam lucraretur. Sed ex eodem principio fluit, amissis literis cambiali-

a) ILL. PVITTMANN Anmerk. zur Leipz. Wechselordnung ad §. XXXIII. n. 3. *Eiusdem* Grundsätze des Wechselrechts §. 64 76. 137. C. G. RICCI Exercitationes ad Ius Camb. Exerc. XVI. §. 2.

b) SCACCIA de commerc. et camb. §. II. gloss. §. n. 347. sequ. SPRENGER

Praet. camb. §. XIII. p. 90. STRYK diss. de lit. camb. accept. Cap. IV. n. 24. FRANCKII Institut. iur. Camb. Lib. II. Sect. III. Tit. IV. §. II. seqq. HEINECCI Diss. De vitio negotiationis collybisticae vel cambialis, quae *Eiusdem* Elem. Iur. Camb. est adiecta, §. XXIII. RICCI d. Exerc. XVI. §. 2. et 35.

bialibus neutrum invita altera parte a contractu recedere, et sic nec Trassantem Remittenti, ut MARQVARDVS *c)* existimat, acceptam pecuniam obtrudere, nec ad illam restituendam adigi posse, sed solummodo ad dandas novas literas cambiales praestita antea sufficienti cautione obligatum esse *d)*. Et in eo differt casus, quo literae cambiales sunt amissae, ab eo, quo ob non factam solutionem a Trassante indemnitas postulatur, quippe quam in pecunia numerata praestare tenetur, nec oblato novo cambio absolvitur *e)*.

Hac itaque ratione succurritur Remittenti, vel Indossanti, nec non Indossatario, si literae cambiales penes illos, vel in transmissione ante acceptationem, re tamen adhuc integra, perierunt. Res autem ipsa docet, amisso cambio, nisi alter confiteatur, non cambiali, imo ne executivo quidem, sed ordinario processui, locum esse. Hoc tamen instituto reus convictus, ad dandas novas literas, praestita cautione, secundum rigorem iuris cambialis condemnatur *f)*.

Quod autem diximus, Trassantem ad exhibendas novas literas cambiales obligatum esse, *re adhuc integra*, hoc ita

A 3

ac-

c) De iure Mercator. Lib. II. Tit. XII. n. 63.

d) v. supra laud. Dd. et I. PHOONSEN Amsterdamer Wechselgebrauch, Cap. XL. §. III. in SIEGELI Corp. Iur. Camb. Tom. II. p. 343.

e) SIEGEL Einleit. zum Wechselrecht. Cap. III. §. 9.

f) HEINECC. cit. diss. et §. RICCIUS Exerc. XVI. §. 42. 43.



accipiendum est, nisi vel *ob culpam* a possessore cambii admissam a regressu liberetur, vel *eveniente casu fatali* res in eum statum iam sit deducta, ut *Trassans* de novo susceptae obligationi sine magno ipsius detrimento satisfacere nequeat.

Et *Trassantis* obligatio non omni quidem *culpa* possessoris extinguitur, sed, ea quoque commissa, ad exhibendas novas literas cambiales non immerito adigi potest *g)*, modo ea non neglexerit possessor, quae ex natura negotii ipsi imponunt leges. His enim solum praesertis patet regressus adversus auctorem, quo privatur, qui ex incuria tempus praesentationis, aut protestationem ob denegatam acceptationem vel solutionem, aut ipsam exactionem, omisit *h)*. Extincto vero iure ad indemnitatem consequendam, nec actio dabitur adversus *Trassantem*, licet post admissam culpam tessera cambialis sit amissa.

Deinde, uti ob denegatam acceptationem aut solutionem sola protestationis interpositio non sufficit, sed necesse est, ut *Trassans* vel *Indossans* de ea certior reddatur *i)*, summa profecto aequitas suadet, ut cambio amisso idem fiat, sicque ipse auctor operam suam ad avertendum commune periculum impendere possit. Sed magis necessarium adhuc est, ut eiusmodi casus fatalis *Trassato* notificetur, ne hic iniusto detentori

g) SIEGEL ad §. XXXIII. Ord. C. Lipsf. n. 2. in *Eiusd.* C. I. C. T. I. p. 56.

h) O. C. Lipsf. §. XIII et XXVIII.
i) O. C. Lipsf. §. V. VII. XV. ILL. FVITTMANN ad §. XIII. n. 9.

tori solvat, nec cambium acceptet *k*). Et silentibus quoque legibus cambialibus hoc prudentiae foret. Memoratu tamen digna sunt, quae in *Ord. Camb. Reg. Boruss. de a. 1751 l*) hac de re disponuntur: *Sollte ein Wechselbrief verlohren, oder abhanden gekommen seyn, so muß ein solcher Inhaber dem Acceptanten oder Bezogenen noch vor der Verfallzeit Nachricht davon geben, und die Bezahlung des Wechsels contremandiren; denn wenn die Bezahlung auf die Verfallzeit auch an einen unbekanntem oder falschen Inhaber des Wechsels erfolgt seyn sollte, so bleibt der Acceptant ohne Verantwortung, massen er nicht schuldig seyn kann, den wahren Inhaber des Wechsels von Person zu kennen. — Wäre aber ein solcher in unrechte Hände gerathener Wechselbrief nachhero durch mehrere Hände gegangen, und würde wegen eingelangter Contre-Ordre protestiret, so hat der Inhaber sich an seinen Indossenten, und dieser an den vorhergehenden, zu halten, da es sich denn zeigen muß, wer durch sein Endossament in Bianco, oder Annehmung des Wechsels von einem Unbekanntem, die Zahlung zu leisten schuldig ist. Pari modo Ord. Camb. Wurtebergo-Stutgard. (de anno 1759 m) illi, penes quem amissum est cambium, imponit, ut de casu fatali statim, et nondum effluxo tempore solutionis, Trassatum certio-rem faciat; et sequentia addit: *Erhielte aber der, so die Zahlung thun solle, gar keine Nachricht, oder erst nach der Verfallzeit und bereits beschehener Bezahlung, hat der wahre Eigenthümer* des*

k) PHOONSEN Cap. XL. §. VII. in SIEGELII C. I. C. T. II. p. 344.

l) §. 65. 66. v. VHLII Cont. I. SIEGELII C. I. C. p. 12 sq.
m) Cap. IV. §. 23. VHLII Cont II. p. 35.

des Wechsels es als ein Unglück auf sich zu leiden. Quis non videt, has legum sanctiones ipsa natura negotii fundatas esse, et intermissa hac denunciatione, sive culpa possessoris hoc factum sit, sive non, actionem in Trassantem cessare?

Nec minus ita dictum *Indossamentum in bianco*, cuius Ordinatio Camb. Borussica modo laudata mentionem fecit, cum inventor amissi cambii illud facile in se extendere sicque falsum committere possit, hoc perpetrato, obligat Indossantem ad praestandum factum suum, et Trassantem reddit securum. Quam ob causam ipsum indossamentum in bianco ad avertendas fraudes in *Ord. C. Lipsf.* aliisque n) est prohibitum.

Non solum autem ob admissam culpam, sed et interveniente casu, quem culpa praecedat, possessor perdit regressum in Trassantem. Ita si Remittens cambium unicum (*einen Sola-Wechselbrief*) amittit, adeoque iusto tempore offerre nequit, antequam autem aliud a Trassante advenire potest, Trassatus bonis labitur, Trassans non immerito erit absolvendus, ne damnum ferat, quod alter sua culpa, cambium amittendo, et moram neſtendo, sentit o).


Si

n) §. XI. SIEGEL Einleit. zum W. R. Cap. I. §. 13.

o) MARPERGER Beschreib. der Messen und Jahrmärkte, Cap. X. p. 23.

24. FRANKII Inst. I. C. L. II. S. III. T. IV. §. XIII. HEINECC cit. diff. §. XXIII. RICCIUS Exerc. XVI. §. 34.

Si vero literae cambiales sine culpa possessoris, sed *casu fatali*, perierunt, ita, ut iusto tempore ad acceptandum et solvendum produci nequeant, antequam autem aliae a Trassante impetrari potuerunt, trassatus foro cessit: tunc quidem Trassantem nec plane condemnandum, nec semper liberandum esse puto. Licet enim Trassatus tempore solutionis adhuc solvendo fuerit, et solutio non propter eius inopiam, sed ob defectum cambii, sit recusata, ideoque casum fortuitum non a Trassante, qui obligationi suae satisfecerit, sed a domino literarum cambialium, ferendum esse, videri possit; haec tamen me non movent, ut a sententia prolata discedam. Si enim hisce argumentis locum daremus, Trassans nunquam ad exhibendas literas cambiales, prioribus perditis, esset obstructus, omnique tempore praetexere posset: ex sua parte iam adimpletum esse contractum, si modo Trassatus tempore solutionis non ad inopiam verferit; interitum igitur cambii ad Remittentem eius dominum spectare. Haec autem Trassanti non prodesse, neque contractum perditis literis cambialibus extingui, supra iam probavimus. Certe, si naturam negotii intuemur, illud, non secuta solutione literarum cambialium, sive haec inopia Trassati, sive casu sit impedita, pro adimpleto haberi nequit. Nec dominium tesserae cambialis Remittenti obstat, quippe quae chartae plagula in se nullius est pretij, cuius valor solummodo a promissa solutione pendet. Lapsus bonorum Trassati, postea secutus, impedit quidem, quo minus cambium de novo in illum trahi possit: sed



sed aequitas summa poſcit, ne hoc interveniente caſu Traſſans locupletior fiat cum alterius detrimento, quem datis aliis literis cambialibus indemnem praeflare poteſt. Eadem vero aequitatis ratio non permittit, ut ipſe Traſſans damnum incurrat, dum iniquum ſolummodo lucrum ab eo extorqueatur. Cum igitur Remittens non niſi proceſſu ordinario contra eum experiri poſſit, cum exceptionibus ſuis erit audiendus. Si ergo in reprobatione deducit, Traſſatum iam accepſſe pecuniam, ex cambio ſolvendam, vel eius partem, Traſſans plene, aut pro parte iam ſoluta, eſt abſolvendus. Idem dicendum puto, ſi Traſſatus eius fuit debitor, cui ſolutionem cambii eo fine commiſit, ut debitum per compensationem tollatur. Ipi enim obefſe nequit, hanc compensationem per amiſſionem literarum cambialium non ſecutam fuiſſe. Potius tunc caſum fortuitum a domino iſtarum literarum ferendum eſſe arbitror. Imo ſi Traſſans ob deficientes exceptiones ad exhibendum aliud cambium eſt obligatus, ſemper tamen impenſas, in perditum et novum factas, et omne id, quod ipſi intuitu huius negotii competit, iure ſuo deducit, cum hoc quoque damnum ad dominum amiſſarum literarum ſpectet, nec tertio imputari poſſit. Sed haec de Traſſante.

Diverſa plane quaefſtio eſt, an, amiſſo ante praefentationem cambio, et contra *Indoſſantem* ad praefſtandas alias literas actio detur? Quod quidem primo intuitu affirmandum videtur


tur

tur, cum per ita dictum indossamentum ipsam obligationem Trassantis in se recipiat, ideoque solutione non secuta, Indossatario regressus in Indossantem pateat, imo secundum dispositionem plurium Ordinationum Cambialium *p*) non nisi servato ordine, ita, ut contra proximum semper agat Indossantem, ad Trassantem pervenire possit. Sed Ordinationes Cambiales solummodo praecipunt, ut, interposita protestatione ob non factam solutionem cambii producti, regressus servato ordine locum habeat. Earum itaque sanctio ad nostrum casum non est trahenda, quippe quo non de indemnitate praestanda, sed de obligatione ad dandas novas literas in locum perditarum, agitur. Haec obligatio sane re adhuc integra a nemine, nisi a Trassante, impleri potest, qui prius cambium dedit, et de eo Trassatum per literas eo fine missas, (*durch den Advis - Brief*), certiore fecit, in iisque rationem, qua pecuniam solvendam restituere velit, illi aperuit. Quodsi autem Indossans ad aliud cambium dandum adigi posset, contractus cambialis contra principia supra demonstrata per amissionem cambii extingueretur. Si vero Trassans non nisi per Indossantes, et ita per gyrum, ad exhibendas novas literas cogi posset, per has ambages tempus praesentationi et solutioni destinatum foret praeterlapsum et negotium irritum factum. E contrario communis omnium, quorum interest, utilitas promovetur, si Indossatarius, amissa

B 2

tessera

p) O. C. Lips. §. XIX. O. C. Boruss. §. 66.



tessera cambiali, brevissima via, quam negotii qualitas poscit, ad Trassantem remittitur, Indossans autem liberatur. Praeterea ratio, cur Trassans ad aliud cambium in locum amissi teneatur, quam summa aequitas dicitur, ne cum detrimento alterius fiat locupletior, in Indossante plane exulat, qui cambium alteri cessum antea iusto pretio sibi comparavit ideoque sine iniustitia ad praestandum casum, quem Indossatarius, nisi Trassans ei subveniat, ut dominus sentit, compelli nequit, quod etiam asseritur in Parere apud SIEGELIUM *q*).

Ea, quae haecenus diximus, illustrantur sequenti specie: Mercator quidam urbis Z. scripserat literas cambiales, quibus T. mercatori Parisiensi commiserat, ut certam quantitatem pecuniae (1600 *Livres Tournois*) ultimo Augusti anno huius saeculi LXXXIX. solveret. Has literas fratres G, in alios per indossamentum transfulerant. Indossatarii *Primam* tesseram tempestive Lutetiam Parisiorum miserant, sed periit in itinere; *Secunda* vero adveniente dies solutionis iam praeterlapsus erat, et Trassatus foro cesserat. Cum itaque Indossatarii contra Indossantes agerent, Collegium nostrum, ad quod Iudex E. acta transmiserat, mense Octobri Anni XC. ex rationibus supra expositis pronunciavit, actionem institutam locum non habere.

Plurimae

q) SIEGELII C. I. C. T. II. p. 107. Parere XCI.

Plurimae Ordinationes Cambiales de eo casu potissimum agunt, si literae cambiales iam acceptatae perierunt, atque disponunt nihilominus, Acceptantem, debiti confessum, praestita prius cautione de indemnitate consequenda, rigore cambiali ad solvendum compelli r). Deficiente autem Secunda tessera, quae indossamenta, sive legitimationem ad causam, continere solet, haec et per solam Trassantis, vel Indossantis, confessionem suppleri potest, si integrae fidei, nec bonis lapsi sint; alias ulteriori probatione indiget s). Neque dubium est, quin Indossans et Trassans ex eiusmodi literis cambialibus, Trassato rite oblati, et protestatione ob denegatam acceptationem aut solutionem munitis, ad indemnitatem maneat obligati, licet interea vel ante diem solutionis, vel remissae in via, perierint t); modo haec omnia, nisi sint confessi, processu ordinario deducantur.

Cambio denique proprio amisso, Debitor principalis, non quidem ad novum dandum, sed, praestita cautione, et quidem, si confessus est, statim, si vero negavit, per sententiam in processu ordinario latam condemnatus, ad solvendum rigore cambiali

B 3

biali

r) RICCIUS d. Exerc. XVI. §. 12. sq. O. C. Lips. §. XXXIII. ILL. PVITTMANN Grundätze des Wechsel-Rechts, §. 137.

in SIEGELII C. I. C. T. II. pag. 344. BARTHII Hodeg. for. Cap. IV. §. V. not. c.

s) PHOONSEN cit. Cap. XL. §. VIII.

t) BARTH d. C. IV. §. XXVII.

biali compellitur u). Indossatarius cambii *proprii* illud debito tempore praesentare et de non facta solutione protestari, nec non Indossantem intra octiduum certiore reddere tenetur v). His neglectis plane contra Indossantem denegatur actio. Perdito autem *cambio proprio indossato*, mihi Indossatario regressus contra Indossantem plane non competere videtur, nisi debitor principalis prius sit excussus, vel Indossatarius probare possit, illum iam tempore solutionis ad inopiam versisse, aut cambium indossatum falsum fuisse. Indossans enim quidem ad praestandam veritatem et bonitatem cessi nominis, non autem ad ferendum casum fortuitum, qui ad dominum spectat, obligatur x).

Sed indicendi iam sunt summi in utroque iure honores,

VIRO

PRAECLARISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO

SAMVELI FRIDERICO IVNGHANSIO

SECRETARIO REGIM. SVPR. ELECT. SAX. ET IVR. VTR.
BACCALAVRO

cum spe suo tempore locum in collegio nostro obtinendi,
a no-

u) Ch. Sächs. Mandat wegen des Wechselverf. im Marggrath. Oberlausitz de a. 1776, §. 12. ILL. PVITTMANN Grundätze des W. R. §. 64.


v) O. C. Lipsf. §. IV. ec. Appendix ad Ord. Rec. §. 14.

x) v. cit. Parere XCI. in SIEGELII C. I. C. T. II. p. 107.

a nobis collati, qui de vita sua, laudabiliter adhuc peracta, haec exposuit:

Natus est Chemnitii anno huius seculi LI. die XVIII. Aprilis, patre M. *Samuele Augusto Iunghansio*, pastore ad aedes S. Nicolai et postea Archidiacono ad aedes S. Iacobi, matre *Maria Charlotta, Ziegleri*, pastoris Voigtsdorfensis filia, iam multis abhinc annis mortuis. Religionis et literarum initia partim ab ipso patre, cuius cineres adhuc veneratur, partim a domesticis praeceptoribus, *Trubenbachio* et *Haasio*, qui nunc in diversis locis omni integritate publice docent et sacra faciunt, hausit. Deinde cum Lyceum, quod Chemnitii floret, plures annos frequentaret, doctores habuit optimos, *Iblium, Hofmannum, Boernerum, Iungerum, Hagerum*, quorum in se merita valde laudat. Anno huius seculi LXVIII. Lipsiae in civium academicorum numerum receptus, philosophiae audiendae causa, *Platnerum* et *Seidlizium* adiit, pro exercenda lingua vernacula et latina praelectionibus *Clodii* et *Ernesti* interfuit, in morum doctrina *Gellertum*, in Mathesi *Borzium*, in historia

Bur-



Burscherum et *Boehmium* audivit, quoad diversas iuris-
 scientiae partes autem *Bauerum*, *Hommelium*, *Segerum*,
Schottum, *Richterum*, *Sammetium*, *Boehmium*, *Zollerum*,
Apelium, *Cleemannum*, *Platnerum*, doctores frequenta-
 vit et his viris ducibus, iis, qui ultimo loco inprimis no-
 minati sunt, exercitiis in arte disputandi, interrogandi et
 respondendi, referendi, causasque forenses agendi fae-
 pius interfuit. Per omne vero temporis illud spatium,
 quo litteris altioribus ediscendis operam dedit, beneficia
 illa insignia, quae ex *Apelii*, *Boernerii* et *Platnerii* muni-
 ficentia ei promanarunt atque benevolentia, gratissima
 mente recolit. Studiorum academicorum stadium emen-
 sus anno MDCCCLXXI lectiones solennes publice habuit,
 et eodem anno die XXV. Octobris disputationem, qua
 de condemnatione ad bestias nonnulla exposuit, praeside
Cleemanno, in Auditorio Petriano defendit. Paulo post,
 examine pro candidatura superato, omnino et prae cae-
 teris dignus iudicatus, inter Baccalaureos, quibus spes
 non deest, aliquando in collegio nostro assidendi, rece-
 ptus est. Postquam anno huius seculi LXXII. acade-
 miam Lipsiensem non absque iusto dolore reliquisset,
 actua-

actuarii munus in praefectura *Rochsburgensi* subiit, et deinde apud S. R. Imp. Comites et Dynastas *de Schoenburg* Secretarii et Consilarii officia praestitit, causasque desuper in foro diligentissime egit. Tandem ab Electore Saxoniae clementissimo anno huius seculi LXXXVII. ad cancellariam regiminis Dresdensis vocatus, officiis Registratoris et Secretarii adstrictus, in hoc munere, quo insigniores imbibere posset iurisscientiae partes, omnem accommodavit animum.

Inter tot vero tamque diversas occupationes practicas, nihilominus viam, quam ad Collegium nostrum semel apertam habuit, curatissime ingressus, mense Novembris anni praeteriti non solum lectiones solennes pro Licentia super Cap. 3. X. de usuris et l. 15. Cod. de testam. in Auditorio Petri publicè habuit, sed etiam explicatis quatuor textibus ex iuris nostri Canonica et Civili scientia, ad examen, quod vocant Rigorosum, accessit.

Candidatum igitur dignissimum, qui in utroque examine haud vulgares in iure profectus nobis satis superque probavit, et dissertationem solemnem *de gabellae detractioe ex usu fori Saxonici electoralis aestimanda* nuper publicè defendit,



dit, nec non lectiones pro gradu habuit, iuris utriusque
Doctorem, nostris adscriptum, cui ius est, suo ordine in
collegium nostrum succedendi, creavimus. Quae omnia
rite peracta esse, maioris fidei causa sub sigillo Ordinis nostri
significamus. P. P. Feste Trinitatis MDCCLXXXIII.

EX OFFICINA SAALBACHIA.



KK 698

ULB Halle

3


005 368 855




Retw 17.8.00 ✓

VD 17







13
12

ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQUI DOCTORES
FACULTATIS IURIDICAE
LIPSIENSIS

PROCANCELLARIO
D. AVG. FRIDER. SIGISM.
GREENIO

SVPRMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGII
IVRISCONSVLTORVM LIPS. ASSESSORE EIVSDEMQUE
CIVITATIS SENATORE ATQUE SYNDICO

SVMOS IN VTROQUE IVRE HONORES

CVM SPE

SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO

OBTINENDI

PRAECLARISSIMO CANDIDATO

SAMVELI FRIDERICO IVNGHANSIO

SECRETARIO REGIM. SVPR. SAX. ELECT. ET IVR. VTR. BACCALAVRO

A. D. XXIV. MAII MDCCLXXXIII.

COLLATOS

INDICVNT.